

ip̄o om̄s uiuificabuntur:
quidē autem in suo ordine
n̄ xpm̄ dnm̄ nr̄m. **S̄ Lucā.**
Accesserunt ad ihm̄ quidā
uoz. qui negant eē resurrex-
it. ⁊ intertrauerunt eum
s. O agister. moyses sc̄p
us. Si frater illius mo-
lient habens uxorem. ⁊ hic
us fuerat. ut frater ei acci-
um uxorem ⁊ suscipat semē
10. Fecerunt ergo apud nos
fr̄s. ⁊ primus accepit ux-
⁊ mortuus est sine filijs.
ens accepit illam. ⁊ ipse

Dnm̄ dñi abraham. ⁊ dñi isaac. ⁊
dñi iacob. Dñs autem non est mo-
tuoz. s. uiuoz. **Gen.** enim uiuūt
ei. Respondens autem quidam san-
ctus dixit. **Gen.** benedixit
D. x. amplius non audierat eū.
interrogare **Eccl. vi. 5. Lucam.**
A ut. Dixit ih̄s discipulis suis.
Cum inducerent uos in synago-
gas. ⁊ magister uobis ⁊ potestates.
nolite solliciti eē quid responde-
tis. aut quid dicatis. **Eccl.** enim
ip̄e docebit uos in ipsa hora. que
oporteat dicere. Aut autem quidā
ei de turba. O agister. dic fratri

X 1905 419



4.

R E S P O N S I O
S E R E N I S S I M I S E P T E M V I R I
B R A N D E N B V R G I C I

A D

S E R E N I S S I M V M D V C E M
N E O B V R G I C V M.

E Teutonico Latine versa,

De conventionē, quam vocant, provisionali annorum 1629. & 1630. super partitione provinciarum Cliviæ, Iuliæ, Bergæ, & cæterarum ad istas pertinentium ditiorum.



Anno 1646.

RESPO

SEPTIMVIRI


BRANDENBURGICI

SEPTIMVM DVCEM

MARCVS

De conventionibus, quibus vocantur pro-
vinctibus, annuuntur. Et de
his, quibus provisionibus
Christi, hinc, inde, & cetera
cum ad illas pertinetibus dicio-

bus



Anno 1644





R E S P O N S I O
SERENISSIMI SEPTENVIRI
BRANDENBURGICI

A D
SERENISSIMUM DVCEM
NEOBURGICVM.

E Teutonico Latine versa,

*De conventionē, quam vocant, provisionali annorum 1629. &
1630. super partitione provinciarum Clivia, Iulia, Berga,
& ceterarum ad istas pertinentium ditiorum.*

SERENISSIME PRINCEPS
CONSANGUINEE CHARISSIME.

Quæ de actis colloquij nuper Duisburgi habiti, præsertim ve-
rò de transactione provisionali anno 1629 initâ Dilectio Ve-
stra 21. Septembris ad nos perscribere, moxq; ad conflandam
nobis invidiam (quanquam more inter Septemvirorum & Princi-
pum familias haud recepto) typis in vulgus spargenda curare voluit:
quæq; & nos vicissim Dilectioni Vestræ per literas in antecessum
præmissas & 19. Octobris datas significavimus; ea omnia Dil. Ve-
stræ in recenti fuerint memoria.

Cum autem tunc temporis, propter Consiliariorum nostrorum absentiam, ad literas Dil. Vestrae plenè & de re ipsa respondere non potuerimus: deinceps cum ijs, qui nobis præstò fuerunt, consiliarijs nostris, re communicatâ & deliberatâ Dil. Vestram expectatione principalis nostri responsi diutius detinere nolimus: nec possumus non eidem amplius ostendere, quod, quemadmodum ex parte nostra ad res novas, quæ periculosas sequelas parere populosq; ulterioribus calamitatibus & ruinis involvere queant, ne minimâ quidem unquam propensione fuimus: Sed potius, ceu in ultimis nostris & præcedentibus literis sumus contestati, sinceræ & amicæ animorum conjunctionis propagandæ & conservandæ quàm maximè semperq; cupidi, ita etiam optaverim? rem & à parte Dil. Vestrae sic esse gestam, ut tam arctæ inter familias nostras necessitudinis ratio magis habita, firmæ amicitia cupido clarius demonstrata, nec tam iniqua & damnosa transactio parenti nostro, beatæ memoriæ, extorta fuisset.

Verum, quandoquidem is ad eam conventionem anni 1629. etsi non sponte motuve proprio: sed illiciente & seducente Comite Schvartzenburgico ineundam sese permoveri sit passus: nemo utiq; mortalium, cui quidem pectus sapiat, nobis vitio verterit, si æquis non diutius possumus intueri oculis, Dil. Vestram præ iis, quæ nos tenemus, continuè tam incomparabili insidere prærogativæ, nos verò detrimentosâ aded & probrolâ conditione usq; desiderere: imo ne id quidem ipsam, quod conventio jactata fert, adipisci nec eo frui. Extra enim controversiam est, & ex pactis conventis perspicuum, ad

avos

avos nostros & patrem, ut minimùm, pro dimidia partē, possessionem
provinciarum pertinuisse. Proinde quod in pactis annorum 1629. &
1630. parens noster absq; causa idonea remisit, ipso jure nullum & in-
validum est. Ius enim certum & indubitatum conventionē seu transa-
ctione remitti neutiquam potest & sine causa transigentem prætor nō
audit. Vnde simul elucescit, nos ad dicta pacta annorum 1629. &
1630. utut à parente nostro rata habita, nullatenus adstringi, idq; eò
minus, quod ea remissio, præsertim tam excessiva, species est dona-
tionis, , cujus nullum Comes habuit mandatum: ita ut vel ex hoc
capite contractus istius nullitas appareat. Quod verò nullum est,
ratificari nequit, præsertim ab eo, qui nescivit singulas actus gesti
qualitates. Et ista quidem Comitis persuasio & inductio à nemine,
cui constar, quàm apud parentem nostrum auctoritatem occupave-
rat, in dubium vocari poterit. Accedit, quod nemini non liquet,
quàm ingentia dona, partim etiam cum divulsione provinciarum &
diminutione patrimonij Ducalis conjuncta, Comes à Dil. Vestra
obtinuerit, quæ quidem rem eò magis probabilem efficiunt: Et quan-
tumvis excessivæ eæ largitiones à parente nostro aliquatenus ratæ
fuerint habitæ, atq; ad eò Dil. Vestræ, prout ea commemorat, grates
eo nomine actæ: tamen & id ex eadem, quam Comes apud parentem
sibi comparaverat, ingenti gratia & potentia, ut radice noxia, profe-
ctum fuisset: quippe quod alioquin, (quemadmodum cuilibet æquo
rerum æstimatori, & quid ejusmodi ministri gratiosi apud Principem
aliquem benignum efficere valeant, perpendēti obviū est:) nunquam
utiq; in tam detrimento sam conventionem parens assensisset, multò

minus pro eā re, quæ manifestissimè ipsi fraudi erat, insuper gratias
egisset, aut eam instar beneficij in se ipsum collati, acceptam tulisset.
Neq; parenti nostro aut inclytæ eius existimationi (uti Dil. quidem
Vestra autumat) ignominiosum ducere possumus, si ea, ad quæ talem
in modum fuit illectus, ex his & alijs prægnantibus rationibus, non
protinus agnoscamus, nec usquequaq; grata & rata habeamus: quippe
cum non solum jura communia, quo in loco ejusmodi periculosa &
affectata persuasiones sint censendæ, apertè doceant: Sed & (si quidem
& nos & Dil. Vest. multis morari liberet) quã plurima illustria exem-
pla repræsentari possint, nõ semper cuncta ea, quæ ejusmodi ministri,
tantam potentiam in herorum suorũ animos adepti eaq; abusi durante
gratia, & heris vivis gesserunt, herorumq; autoritate munienda cura
verunt, valida mansisse, nec ullo modo immutata fuisse. Ut jam tacea-
mus nos in hisce provincijs non parenti nostro, sed primo acquirenti
jure proprio, sive primogenituræ, succedere, ideoq; jure hac transa-
ctione non obstringi, idq; eò minus, quod provisionalis ista conven-
tio non modicam aliquam sed maximam diminutionem dominij, sive
principatus nobis competentis sine contradictione secum trahit, ut
pluribus mox docebitur. Cumq; ex unanimi consensu Jurisconsul-
torum, princeps contrahens ipse à contractu resilire possit, quando
importat magnam principatus diminutionem: Multò magis Succes-
sor id ritè & legitimè facere poterit, qui non contraxit, nec jure
hæreditario, sed proprio successit. Nemo igitur nobis jure poterit
vitio vertere, quod jure nostro utamur, & ex probabili & justa causa,
ea quæ

ea, quæ parens noster persuasionebus inductus approbavit, rata habere haectenus, & donec nobis legitima satisfactio præstetur, renuamus. Neq; his obstat, quod Dil. Vestra pergat allegare, nos eo ipso, quod præfecturas, oppida & arces parenti nostro anno 1629. traditas hucusq; retinemus, contractum ipsum approbasse; quia id neutiquam intuitu conventionis à nobis nondum ratificatæ, sed virtute nobis in universas has provincias competentis notorij juris factum est, eoq; respectu nobis multò plus ex hisce provincijs, quàm re ipsa nunc tenemus, competit. Meritò ergo jure nostro proprio utimur, etiamsi provisionalem istam conventionem non approbemus, quod quidem etiam eò minus facere possumus, quia nos in ea tam notabiliter, imo planè enormiter, læsos sentimus, ut ipsa facti notorietas & evidentia perspicuè testatur, & Dil. Vestræ consiliarijs in ultimo colloquio Duisburgensi apertissimè fuit demonstratum, quò etiam brevitatis gratiâ nos referimus.

Hoc duntaxat paucis attingemus, uti & Dil. Vestræ notum est, avos nostros (quanquam jure primogenituræ, antiquissimis Unionis pactis, privilegiorum Cæsareanorum autoritate confirmatis, Prutenicis itidem, Neoburgicis & Bipontinis pactis dotalibus, & à Dil. Vestræ parentibus, piæ recordationis, subsecutis renunciationibus juratorijs, fundatam intentionem pro se haberent, & etiamnum habeant) tamen anno 1609. per contractum Dortmundensem, interventu Mauritij Landgravij initum, tandem induci se esse passos, ut Dil. Vestram ex bono in eam affectu, & jure familiar-

miliaritatis, in possessionis harum provinciarum communionem provisionaliter admitterent.

Hujus conventionis vi ad familiam nostram dimidiæ saltem partis univrsarum istarum provinciarum possessio sine controversia spectavit, eòq; autoritate Legum evidentissimarum, minus quam dimidia ista parenti nostro in partitione attribui nec debuit nec potuit: præsertim cum in ipsum, provincias nempe has æqualiter esse partiendas, postea Halæ Suevorum anno 1610. & Xanthis anno 1614. per conventiones, interpositione tot Regum, Principum, Statuum & Magnatum, sancitas & à Dil. Vestra solemniter ratas habitas, denuò transactum, ampliusq;, imo superfluè, confirmatum fuerit.

Dil. autem Vestram contra has tam evidentes conventiones deinceps potiozem harum provinciarum partem, auxilio externarum copiarum, sibi arrogasse, parètem nostrum sua possessione destituisse, occupatarum provinciarum fructus in suos solius usus, quam plurimis annis, convertisse, parente nostro & nobis exclusis, id verò Dil. Vestra inficias ire non potest, uti nec in literis suis contra enormissimam ex his omnibus elucentem, & cum conventionem Dortmundensi & Halensi notoriè pugnantem læsionem aliquid adferre potuit, præterquam quod parentem nostrum insimulare voluit, ac si rumpendæ conventioni Dortmundensi primam præbuerit causam: quod tamen ita simpliciter non concedere possumus, resq; se planè aliter habere reperietur.

Principium enim rupturæ, à Dil. Vestra ortum esse satis inde
apparet,

apparet, quod, tametsi parentis nostri pro tempore consularij & præcipuè præfectus Pithan, justis ex rationibus, separatim ingressum munitionis Iuliacensis ei consentire renuerant, & inter præfectum & officarios convenerat ad præcavendas res novas, nec Dil. Vestram nec parentem nostrum separatim in munitionem admittere, Dil. tamen Vestra ingressum obfirmato conatu re ipsa tentavit. Nec præterea negare poterit Dil. Vestra Locumtenentem suum Arnoldium deditorem munitionis Iuliacensis agitasse, indeq; Præfectum coactum fuisse eum una cum militibus, quibus ille præerat, securitatis ergò, eliminare, munitionem tamen ipsam utriusq; Principis nomine & auspicijs tenere & gubernare perrexisse. Ex quibus à parte Dil. Vestræ attentatis variæ suspiciones & dissensiones fuerunt natæ, ratioq; ipsa postulavit, ut securitati quorundam locorum aliquantò magis consuleretur: quæ omnia vitari potuissent, si Dil. Vestra separatim ingressum Iuliaci non magis conata fuisset nolente & inscio patre nostro, quàm is sibi id unquam contra voluntatem Dil. Vestræ arrogavit. Meritò autem Dil. Vestræ perpendendum fuisset in re communi potiore esse conditionem prohibentis. Et quamvis, istâ rerum facie Tribunus Schveichel mandata acceperit, in supplementum præsidij Brandenburgici, quod Dusseldorpiæ erat, eò se conferendi, hoc tamen consilio, quemadmodum sinistra sit interpretatio, minimè id fuit factum, ut Dil. Vestra possessione exueretur, sed solâ tuendæ & conservandæ possessionis ratione, & necessitate id flagitante. Eventus etiam postea subsequutus, cum Dil. Vestra oppidum Dusseldorp vi in potestatem suam redegit, milites

B

Branden-

Brandenburgicos exegit, avi nostri Commissarium amplissimum,
Adamum Putlitzij Baronem ignominiosè habuit, conclave ejus, ut
nemini introitus exitusve pateret, sclopetariorum manu obsedit,
idq; longo continuavit tempore, satis docuit, ob numerosum Dil.
Vestrae praesidium, sat causae ejus rei extitisse: Nec cuiquam vitio
est vertendum, quod sibi caveat prospiciatq; ne de sua possessione
dejiciatur. Vnde manifestum fit, à Dil. Vestra initium factum, eamq;
priorem publica hostilitate in parentem nostrum usam. Et hoc
quidem, quod supra, pura pura & irrefragabilis est veritas. Verum
enimverò, ut demus ex parte Brandenburgica aliquid in fraudem
dictarum conventionum fuisse admittam, quod tamen nunquam
comprobabitur: attamen postmodum anno 1614. maximi Reges,
alijq; proceres interventu suo omnia quae fuerant oborta dissidia
consopivè, Xanthisq; ad 12. Novembris utrinq; novae conventio-
nes fuerunt conclusae & sancitae, tamq; à Vestra Dil. quam à parente
nostro, solemniter ratae habitae, adeò ut nunc quidem non est, cur
anxiè dispiciatur, utra pars Contractui Dortmundano contravene-
rit, seu rupturae prior dederit initium. Quod autem Dil. Vestra con-
tra ultimam Xanthesem transactionem adfert, eam ad effectum
non fuisse perductam, hacq; non attentà Brandenburgicos comita-
tum Ravensbergicum, pluresq; praefecturas Iuliacenses, Bergenses
& Markenses, occupasse, id quidem iterum eo modo, quo narratur,
concedere nequimus: Sed rei veritas haec est. Quamprimum ni-
mirum avus noster, Septemvir IOHANNES SIGISMUNDVS,
de concluso Xanthesi contractu intellexisset, eum citra ullam dif-
ficul-

facultatē è vestigio habuit ratum ; teste solemnī rātionis
instrumento Coloniae ad Spræam 23. Novembris 1614. dato
Imo parentem nostrum, tunc Electuræ hæredem, diutius quam
annum integrum, in hisce provincijs reliquit, ne qua in sese esset mo-
ra, quò minus conventio Xanthensis effectum fortiretur. Cum au-
tem postea parenti nostro ineunte anno 1616. in Marchiam Bran-
denburgicam & deinceps in Palatinatum necessariò esset proficiscen-
dum, nihilominus autumno proximè sequenti in provincias Clivi-
cas reversus, novem circiter menses ibi substitit, nec tamen contra-
ctum Xanthensem ad verum & genuinum effectum & usum promote-
re potuit, ex parte Dil. Vestræ quam plurimas contraventiones exper-
tus, qua in re etiam annis 1618. & 1619. cum ab avo nostro, ob in-
gravescentem suam adveriam valetudinem, Electoratus governa-
cula parenti forent transcripta, isq; eam ob rem in Marchiam voca-
tus, perpetuò continuavit.

An & quo pacto, quo item tempore à parente nostro comi-
tatus Ravensbergicus, aut alia quædam loca, fuerint occupata, nul-
lo quidem comprobatur argumento. Sed ut quam maximè proba-
ri queat, parentem nonnulla istorum locorum milite firmasse, nihil
tamen in eo illiciti, nec contra conventionem Xanthensem gessisset,
quippe qui ultra dimidiam ad sese spectantem non processit, & si
quid occupationis accidit, vigore possessionis pro dimidia parte di-
tionum sibi competentis, ejusq; tuendæ sive retinendæ gratiâ id fa-
ctum fuit; nec ex adverso doceri poterit aliam fuisse, aut Dil. Ve-
stram possessione exuendi, patri mentem: nec sanè parens debuit

perpetuò tacitus & quietus assidere, spectatoremq; duntaxat agere
invasionum, quibus Dil. Vestra contra manifestas conventiones, pro-
lubitu singulas præfecturas, atq; adeò provincias integras occupa-
bat, imò pene nniversas ad sese trahebat. Et ut maximè injuriæ quid
à parente nostro in Dil. Vestram profectum fuisset, quod tamen
non fuit, nec ullo juris colore ostendi potest: Vestra Dil. ea de re
conqueri & ut, ex norma conventionis Xanthenis, provinciæ in
æquales dividerentur partes, postulare poterat; nec profecto ex hac
parte ulla futura fuisset mora. At per Dil. Vestram ipsam tunc tem-
poris revera stetit: utpote cui, cum eâ tempestate continuò in hisce
regionibus resideret, & contra contractum Dortmundanum, occu-
pandis & subigendis terrarum tractibus ingens sibi compendium &
præsidium parâsset, jam Xanthis conventa partitionis provincia-
rum æqualitas parum arridebat: unde varijs protelationibus effe-
ctum transactionis Xanthenis eludendo, absentiam patris & avi
nostri rationibus suis egregiè accommodabat, sedem Dusseldorpen-
sem sibi soli retinebat, cum omnibus alijs in potestatem redactis lo-
cis, & omni contentione eò incumberebat, quo pacto sin minus cun-
ctarum harum provinciarum universitatem, at certè majorem earum
partem planè subigere, domumq; nostram ab ijs excludere posset, ei
fini copijs Hispanicis usa, quibus, ceu ipsa fateri cogitur, provincias
has omninò replevit. Hi verò eventus, invasiones provinciarum &
subactiones patris item nostri, contra Dortmundanam conventio-
nem, violenta dejectio, de possessione satis superq; testantur, utra
pars rumpendis pactis causam dederit: Imò à tempore violentæ hujus
occupa-

occupationis Dil. Vestra è majori & potiori parte harum provinci-
arum, usq; ad hoc ipsum tempus, immane quantam percepit, cu-
jus legitimas reddere rationes quam maximè tenetur. Vano item
prætextu Dil. Vestra objicit se ad suppetias Hispanicas adhibendas
fuisse coactam, ut sese in possessione tueretur, & occupata recupera-
ret, cum & ab hac parte aliena auxilia fuerint adhibita. Nam Dil.
Vestram à Brandenburgicis aliqua injuria, aut in possessione dimi-
diæ suæ partis, contra conventiones, vel minimo detrimento affe-
ctam esse, nunquam poterit evinci. Res ipsa loquitur contrarium:
quippe cum notorium sit, à conventionione Xantheni Dil. Vestram
nunquam non plus quam pro dimidia sua parte sibi ultro usurpasse,
& in usufructu suo habuisse. Imò ut detur, parentem nostrum di-
midiam suam transgressum esse: Dil. tamen Vestra æqualitatem qui-
dem partitionis (ad quam parens avusq; noster semper fuerunt pa-
rati) reposcendi, sed neutiquam protinus ad hostilitates, & tanta-
rum copiarum Hispanicarum introductionem provolandi, causam
habuisset. At quoniam Dil. Vestra jam multò plura quam ei ex
conventionione Xantheni competebant, in potestate habebat, ideoq;
à restitutione superflui abhorrens, id ipsum potius pluis acquisitio-
ne cumulare annitebatur, idcirco summorum Principum suppetias
sibi parabat, iisdemq; præter necessitatem provincias inundabat. Et
quamvis parens noster, Dil. Vestra tam contrariè se gerente, & ipse
externi militis subsidio sit usus; urgente tamen summa necessitate id
tantum fuit factum, cum Dil. Vestra cupidine provincias integras,
aut certè ex majore parte sibi vindicandi conventiones Xanthenes

non observaret, sed sedem Dusseldorfensem, omniaq; alia occupata, quæ maximam ditionum partem notoriè conficiunt, è diametro contra omnia jura sancitumq; & ratum habitum Contractum Xanthensem, sibi retineret, nec de ijs quicquam restituere cogitaret, quin potius plura conquirere satageret. Ut igitur hinc Dil. Vestræ motionibus & contraventionibus saltem aliquantum obviam iretur, nec domus nostra Electoralis his provincijs, & earum possessione, omnino excideret: parens noster, penuriâ proprij militis, non injuriâ vicinorum suorum auxilio se munire necesse habuit: attamen non ad offensionem, sed retinendæ duntaxat tuendæq; possessionis competentis gratiâ, quod omni jure licitum & cuivis permissum est. Ordinesq; Belgij confœderati nunquam non fuerunt parati juxta conventionem Xanthensem ad restituenda occupata ab ijs loca, modo Hispania & sua etiam parte idem præstare voluisset.

Idcirco, cum negari nequeat, quam plurimum anno 1614. abfuisse, ut avus noster, Septemvir IOHANNES SIGISMUNDVS competentem sibi dimidiam partem ditionum in plena obtinuerit possessione, sed eum multo minori contentum esse oportuisse; nullo fundamento affirmari potest, Dil. Vestræ ad tuendam suam possessionem & recuperationem ditionum, præfecturarum & arcium occupatarum Hispanico auxilio uti necesse fuisse. Et ut avus noster aliquanto plus quam pro dimidia ditionum parte sibi applicuerit, quod nunquam demonstrari potest; tamen partes Dil. Vestræ fuissent ut intra limites inculpatae & legitimæ defensionis mansisset, eaq; solum recuperasset, quæ ei ad dimidiam suam deerant, aut decesserant. Sed

Dil.

Dil. Vestra iisdem & tam perspicuis pactis conventis non contenta, auxilijs peregrini militis cunctas has ditiones, usq; ad pauculas reliquias, subigebat, & consortem suum, contra difertas conventiones, possessione sua ejiciebat, quod quidem neutiquam pro defensione moderata & licita, sed pro offensione excessiva & injustissima, omniq; jure prohibito spolio (tamen citra omnem injuriam) merito cenletur: Et Dil. Vestra tenebatur omnino, ad supplendam & resarciendam avo nostro competentem dimidiam, ditiones violento spolio ablatas restituere, & conventionibus tam religiosè sancitis stare & obsecundare.

Ita ex hisce liquet irrefragibiliter, nec nos nec majores nostros, sed Dil. Vestram ipsam & solam rumpendæ tam Dortmundanæ, quam Xantheni conventioni causam dedisse, iisdem multifariam contravenisse, & effectum earum studio impedivisse.

Hinc pariter elucescit enormissima illa, quam supra diximus, læsio. Quandoquidem enim Dil. Vestra violenta illa occupatione universarum ditionum, paucis exceptis locis, introducto peregrino milite, rem eó adduxerat, ut parentem nostrum jactatam illam provisionalem transactionem nolentem volentem inire oportuerit, & ad evitandam ampliorem perniciem, & ditionum exitium, perexiguo contentum esse, cum tamen æqualitatis causâ, & vi conventionis Xanthenis, omnia ea, quæ extra Ducatus Iuliacensem & Bergensem sita sunt, parenti nostro competiissent: eum transactione ista enormissimè læsum esse, luce meridianâ clarius efficitur: maximè cum præterea Dil. Vestra tanto temporis spacio insignes illos pro-

ventus

ventus & reditus cunctarum istarum ditionum, paucis locis exceptis, tam opulenter perceperit, nobis interim & domo nostra Electorali (quæ tamen acquirendæ & tuendæ harum ditionum possessioni, ex alijs suis provincijs tot myriades impendit) ijs carentibus. Neq; proinde quisquam mortalium, partium studijs liberaliter poterit judicare, quam quod Dil. Vestra dum plus dimidia parte conventionibus ipsi provisionaliter attributâ, de facto sibi corripuit, & hucusq; superfluum istud domui nostræ detinuit nimium quantum exorbitârit, & facinus ejusmodi commiserit, quod nullo jure defendi potest, sed juri gentium, pactisq; & conventionibus pro pace publica solemniter initis & approbatis planè contrarium est: quodq; Dil. Vestra ob id omni jure teneatur ablata ante omnia restituere, nobisq; ratione fructuum tam perceptorum quam percipiendorum satisfacere, cum peccatum non remittatur, nisi ablatum prius restituatur, secundùm notissimam juris Canonici regulam. Nec relevat, quod Dil. Vestra hîc opponit, si de læsione disceptetur, tempus contractus esse inspiciendum: quippe ista juris Theorica tum demum locum habet, quando agitur de læsione, quæ post contractum supervenit. In casu autem præsentis de ejusmodi læsione, quæ ex postfacto contigerit, sermo non est, sed de læsione in ipsa transactione.

Namq;, vi supra memoratarum conventionum provisionalium tam perspicuarum, nobis majoribusq; nostris citra controversiam competijt dimidium cunctarum istarum ditionum, earumq; fructuum universorum, nec non restitutio pro dimidia omnium in acquisitionem & conservationem ditionum impensorum sumptuum, qui ad

qui ad multas excreverunt milliones. At in ea conventionē provi-
sionali, de qua jam agitur, repetitio tantorum fructuum æquè ac re-
stitutio tam ingentium sumptuum, & reparatio inde ortorum da-
mnorum maximorum insuper fuit habita planèq; præcisa; parens ve-
rò noster cum Cliviæ Ducatu, Markæ comitatu, Ravensbergij co-
mitatus communione (quæ tamen hodièq; sine effectu manet) di-
missus: cætera cuncta, scilicet præclarus ille Iuliæ Principatus inte-
ger, Montium ducatus, dimidius Ravensbergij comitatus, integra
Ravensteinij Dynastia cum omnibus Brabanticis & Flandricis bo-
nis, cæterisq; ditionibus & feudis, à Duce quondam GVLIELMO
relictis, indistinctè Dil. Vestræ fuerunt assignata: cum tamen, teste
conventionē Xantheni, soli Iuliæ & Montium Ducatus aut præ-
sent Cliviæ, Marchiæ, Ravensbergæ, Ravensteinio, Brabanticis
item ac Flandricis fundis, aut æquiparandi sint. Quod si hic repli-
cetur, patrem nostrum anno 1629. ditiones has (exceptâ Susato,
Luna, parteq; Cliviæ) non amplius in possessione habuisse; causa
ejus rei fuit, quod Dil. Vestra eum, contra priores conventiones,
dimidiæ suæ partis possessione violenter ejecerat, peneq; cunctas
illas provincias vi & armis Hispanorum subegerat. Quoniam autem
Dil. Vestræ in ijs omnibus, quæ eum in modum hostiliter ultra di-
midiam sibi competentem occupavit, nulla vera & firma possessio
accrescere potuit, sed ea, docentibus omnibus juribus, pro possessi-
one vel potius detentione violenta & multis modis vitiosa censenda
fuit: nihil ea in partitionis conventionē præsidij Dil. Vestræ adferre
valuit, nec attendenda fuit: Sed cuncta in pristinum & eum statum,
de quo

C

de quo in anno 1614. Xanthis convenerat, redintegrata & restituta oportuit: cum illicitum factum, & violenta invasio nemini prodesse vel lucrum adferre, sed potius nocere debeat: præsertim quando vergit in maximam perniciem sive injuriam & jacturam alterius consortis: omniq; rectæ rationi repugnat, aliquem ea quæ cum alio communia habet, sibi soli violenter vendicasse, alterumq; possessione excussisse, postea autem eidem, quæ sibi visum fuerit, reddere, & ut alter ea boni consulat, postulare velle. Quo jure quave ratione id fieri possit, cunctis mortalibus, qui honesti aliquam saltem rationem habent, judicandum permittimus.

Patet itaq; ex hisce paucis, enormissimam à nobis memoratam læsionem jam tum, & tempore prætenfæ transactionis, apparuisse, & proinde nullam fuisse urgentem & legitimam causam, cur contra pacta priora ditiones majori ex parte Dil. Vestræ attribuerentur, nobisq; & Domui nostræ tam insignis & manifesta fieret defraudatio.

Quocirca contractus isti provisionales annorum 1629. & 1630. neutiquam de jure subsistere possunt: non tantum propterea, quod parentis nostri jus proprium certum & indubitatum, cum damno maximo & irreparabili in ijs remissum fuit, idq; sine ulla causa, quod sanè contractum vitiat & invalidum reddit, uti antea memoratum: sed etiam quod parens falsa persuasione, ac si inæqualitas non adeò magna esset, ipsumq; aliquid remittere oporteret, ne armis adversæ partis planè extruderetur, ad eos inductus fuit: quæ falsa persuasio, cum dederit causam contractui bonæ fidei, reddit eum ipso jure nullum.

Igitur

Igitur pollicemur nobis firmiter à Dil. Vestra, ipsam perpen-
sis maturè omnibus istis, quæ supra sunt commemorata, sententiam
esse mutaturam, seseq; ad eas rationes, quibus æqua nobis satisfactio
fiat, applicaturam, ut ita, quod inæqualiter factum esse constat,
juxta Imperatorum jussa & monita, in melius reformetur. Nec ulla
re firmiùs quam æqualitate amicitiae sinceritas & fiducia inter u-
tramq; domum conservari poterit: ad quam vel hoc demum Dil.
Vestram permovere debebat, quod ei ipsi contractui annorum
1629. & 1630. à se tantopere exaggerato à parte sua hucusq; satisfi-
ctum non fuit, quin imò multis potius modis contraventum.

Iam autem de contractu innominato hîc agitur, ubi utrinq;
aliquid dari & præstari debuit. Atqui in contractu innominato lo-
cus est pœnitentiæ. Vnde nec parens noster, nec nos ad eum obser-
vandum adstringi possumus: sed ab eo recedere, nobis omnino est
integrum.

Nam Dil. Vestram nobis dimidium comitatum Ravensber-
gensem nunquam adhuc tradidisse, nec conventam communis regi-
minis formulam ad effectum perduxisse, sed hucusq; integrum co-
mitatum cum patrimonio & omni proventu (unâ & exigui quidem
reditus præfecturâ Ravensbergij, quam etiam parens noster jam ante
habebat, exceptâ) sibi usurpâsse, nostramq; partem nobis jam deci-
mum sextum annum detinere, id verò publicâ constat notorietate,
& quidem facti permanentis: nec Dil. Vestra inficiari potest.

Prætendit quidem culpam aut moram traditionis nondum
factæ penes se non fuisse, seq; paratam, simulac nobis visum fuerit,

omnia prout conventum fit, effectui mandare, nobisq; ratione fructuum ex æquo satisfacere. At multiplices parentis nostri pro partiendo comitatu requisitiones, & frequentes ob eam rem ad Dil. Vestram missiones planè testantur contrarium, culpamq; traditionis non secutæ; & comitatus in communionem non compositi unicè penes Dil. Vestram hæsisse, qui integrum eum comitatum in potestate sua hucusq; habuit & retinuit, nec insigne istud commodum è manibus dimittere sustinuit.

Pugnat etiam cum sensu communi patrem nostrum sibi ipsum in ijs qui ei fructuosa & proficua, impedimento fuisse suumq; tam leviter jactasse & velut pro derelicto habuisse: nemo certè prudens hoc de eo præsumperit. Et, quanquam Dil. Vestra Magistrum suum Cameræ, Segerum anno 1630. aut 1631. Clivos miserit, intelligimus tamen eum non ad traditionem faciendam, sed liquidationem quandam proponendam eò venisse. Cum verò ei ostensum fuisset, non Dil. Vestræ à nobis, sed nobis à Dil. Vestra magna superesse debita exigenda, abiisse eum, ut propius edoceretur, nec unquam rediisse. Dummodò etiam Dil. Vestra seriâ fuisset voluntate comitatum re ipsâ tradendi, pauculis diebus, quæ opus erant, confici potuissent: certa nimirum regiminis formula, & redituum æqualis partitio, quæ sanè haut magno constitissent labore; modo enixa adfuisset voluntas. Et quâ quæso rationis specie effectus conventionis hoc prætextu, quòd prius de certa regiminis formula conveniri oporteret, retardari, parensq; noster & nos à comitatu isto tanta annorum serie excludi potuimus? Nos utiq; æquè & quidem multò potiori jure

jure, quam Dil. Vestra esse prætendit, hujus Comitatus Dominus
sumus: & communio ejus ab ipsa ea, quæ tantopere urgetur, conven-
tione provisionaliter sancita est. Quemadmodum ergo vi omnium
jurium, naturalisq; æquitatis, inter socios, in pari causa & conditio-
ne constitutos, æqualitas observanda, & socij usquequaq; æquabili
jure censendi sunt: ita, vi dictæ transactionis provisionalis, æquè
parens noster ac Dil. Vestra in communem comitatus possessionem
statim fuerat admittendus, & postea demum inter socios de constitu-
tione communis regiminis agendum: non autem parens noster eum
in modum excludendus, aut à possessione arcendus, & velut pigno-
ribus captis causam dicere cogendus. Quòd si Dil. Vestra eà est
mente, ut parens noster, aut nos haut prius ad comitatum istum ad-
mittamur, quam de regiminis formula cum ea convenerimus, in
perpetuum utiq; exclusi manebimus, & è contra effectus conventio-
nis à solo Dil. Vestræ arbitrio pendeat, consequenterq; oblatio ista
sua omni & ipsa carebit effectu; idq; eadem facilitate, qua contra-
ctus ipse eluditur: quippe cum forsitan Dil. Vestræ nunquam placi-
tura sint, quæ nobis rationi & æquitati consentanea videbuntur:
quemadmodum id ipsum suæ hætenus actiones, totq; annis conti-
nuatæ protelationes hujus negotij evidentissimè ostendunt. Multò
etiam minus Dil. Vestra moras in tradendo Comitatu nexas hoc co-
lore potest excusare, quòd liquidationem quorundam in ditionibus
Cliviæ & Montium nondum solutorum nummorum postulandam
habeat, quam & ipsam definiri ante traditionem oporteat. Nam
præterea quod de isto postulato nobis planè nihil constat, id, etiam si

jūre niteretur, Dil. tamēn Vestram à mora non posset liberare: quan-
doquidem ex parte Dil. Vestræ obligatio ad tradendum pura est, po-
stulatum autem hoc, ut res prorsus diversa, cum ea nihil habet com-
mune, sed post executionem conventionis poterat determinari.
Deinde prætenſio hæc planè adhuc est illiquida, nec à parente nostro
unquam agnita, sed semper solemniter negata. Quin potius is in-
signis debiti actione Dil. Vestram conveniendam habuit, quam &
nos omnino nobis salvam reservatam volumus.

Ex his efficitur iterum irrefragabiliter, Dil. Vestram in mo-
ra tradendi hæctenus fuisse, & proinde, ex norma legum manifestis-
simarum, ad omnium nobis morâ ista creatorum damnorum repara-
tionem, ut & fructuum, quos sive ex Regalium exercitio sive ex pa-
trimonio Ducali percepit, vel percipere potuit, rationum redditio-
nem nobis obstringi.

Pro secundo, Dil. Vestra contractui à se prolato nec in eo fa-
tisfecit, quod ex regionibus sibi assignatis, summam 180000. Imperia-
lium in contractu, & 9. Martij 1629. subsecutâ suâ ulteriori decla-
tione obligatoria, promissam, in terminis ad id præfixis non solvit,
sed nobis parentiq; nostro, non exiguo nostro damno, detinuit.

Contendit quidem Dil. Vestra hanc non factam solutionem
ejusmodi colore excusare quod non purè ad eam fuerit devincta:
sed Ordines tantum ad eam rem disponere promiserit, idq; prout ait,
etiam præstiterit.

Crederetamen non possumus, Dil. Vestræ hæc seriò adstru-
endi esse animum. Quin potius pro certo habemus eam in pectoris
penetra-

pénétralibus & conscientia (cujus exactissimus DEVS omniscius inspector est & cognitor) prorsus aliter sentire: ut & nos ad Dil. Vestræ ipsius notitiam & conscientiam, imo ad ipsum tribunal DEI opt: max: provocamus, an hac in parte consilium & mens fuerit ut simplici tantum alloquio & perfunctoria exhortatione cum Ordinibus ageretur: uti nunc quidem fit interpretatio toti; orbi, quâ honesti est amans, iudicium ea de re libenter permittimus, modò rem omnem ritè sit edoctus, magisq; ad eam, & contrahentium mentem respiciat, quam in verborum superficie hæreat, quæ, quod non aliter fuerint concepta, pars est imprudentiæ & praviæ mentis Schvartzenburgicæ. Vera enim & genuina mens, & consilium contrahentium hoc utiq; fuit, ut parens noster summam promissam revera acciperet, & eadem fidem apud Ordines confœderati Belgij (ceu Dil. Vestræ durante tractatu apertè fuit significatum) pro pecunijs additionum conservationem olim mutuò datis, solveret; quod quidem nudis verbis, & ad Ordines provinciales hortatione, fieri nequivit. Et de hac ipsa mente testantur ipsi Ordines Belgici, quâ mediatores, suis litteris quæ datæ sunt 2. Aprilis 1632. & 20. Januarij 1637. Idem testantur etiam ipsius Dil. Vestræ ad Ordines provinciales propositiones, & plura alia documenta. Quemadmodum & parens noster 31. Maij 1629. hunc contractum provisionalem aliter non habuit ratum, quam spe certâ & fiduciâ fore Dil. Vestræ quam maximè curæ, ut apud Ordines provinciales promissum hoc in effectum deducere-
tur & eò promoveretur, **VT PARENS HAC CONGES-
SIONE REIPSA FRVI POSSET.** Hæc; ipsa con-
trahen-

trahentium mens vel inde magis perspicuè apparet, quòd certi solutionis termini fuerunt assignati in ipso conventionis instrumento, eam scilicet pecuniam intra proximum triennium erogatum iri: quo non fuisset opus, si ea subfuisset mens, ut nos, parensve noster re ipsa nihil adipisceremur, sed nudis verbis inanes dimitteremur.

Docet item luculenter, quod tunc temporis separatim fuit confectum instrumentum secundarium, promissionem summæ istius non ita simpliciter & absq; causa, sed eâ contemplatione fuisse factam, quod parens noster non tantùm longè minori ditionum parte contentus fuit, sed etiam, pro numeratione eorum 186000. Imperialium, jus collectandi, quodei in ditionibus Dil. Vestræ assignatis, vi Superioritatis, & imprimis contractus Xanthensis, haut dubiè competebar, remisit, recepitq; intra annos eos 25. qui conventionem sunt definiti, se nulla ex ijs ditionibus tributa postulaturum. Vnde facile est conjectu & iudicatu, ejusmodi nudum alloquium, quale Dil. Vestra jam conatur supponere, nullatenus esse æquivalens ejus, quod parens pro eo remisit: sed nisi Dil. Vestra promissam summam cum usuris à tempore moræ repræsentet, non amplius parens noster, multoq; minus nos, ex ipsa lege contractus, & vi correlative, quorum uno cessante corruat & alterum necesse est, partitione facta & remissione adstringimur & consequenter eo casu nobis à Dil. Vestra justa dimidia pars harum ditionum cum fructibus hæcenus perceptis, pars item dimidia omnium hucusq; quæ provenerunt ex ijs, tributorum, (quæ quidem plures milliones jam efficiunt) extra controversiam, restituenda est: pariter & nobis competit in posterum

Regalis

Regalis nostri & Superioritatis, quoad jus collectandi, in Iulia,
Montibus, Ravensberga, & Ravensteinio exercitium perenne.
Cum enim remissio juris collectandi, sive participandi de collectis,
intra 25. annos præstandis, facta sit ob certam causam, eaq; non fue-
rit secuta, utiq; cessat etiam ipsa remissio, per jura notissima. Quan-
quam præterea necdum debite demonstrari, aut, uti juris est, proba-
ri potuit, Dil. Vestram permovendis Ordinibus provincialibus, ad
præstandas pecunias promissas, omnem possibilem operam navasse.
Contrarium potius, & rem istam Dil. Vestræ parum fuisse cordi, vel
inde apparet, quod utiq; Dil. Vestra à tempore contractus initi Or-
dines suos provinciales eò adigendi & permovendi non caruit faculta-
te, ut ei ingentes collectas, & pecuniarum summas, quæ, quantum
intelligimus ad aliquot milliones ascendunt, consenserint & præsti-
terint. Quod si itaq; Dil. Vestra id in sui ipsius usum potuit efficere:
sequitur citra contradictionem, Dil. Vestram circa summam parenti
nostro promissam, non adhibuisse omnem & possibilem diligentiam:
aliàs summam istam æquè obtinisset, fidemq; suam solvisset.
Quin imò eo ipso quod Dil. Vestra à tempore pacti ditiones tam im-
modicis tributis, impositionibus, & exactiõibus duriter adeò ha-
buit, consensionem & præstationem summæ promissæ ipsa impedi-
vit, & proinde, vi notissimorum jurium, ipsa repræsentandæ ei sum-
mæ obligatur: idq; eò magis, quod vigore supradictæ conventio-
nis, summa illa intra proximè insecutum triennium, atq; adeò prius
quam Dil. Vestra in sui ipsius usum tributa è ditionibus collegisset,
repræsentanda, & ita Dil. Vestræ proprijs collectis omnino præfe-
renda

renda fuisset. Nec dubitandum est, quin Ordines in hoc negotium, quod ipsis ob recuperatam quietem, tam utile fuit, quam in aliud quodcunq; officio fungi, & de suo contribuere maluissent. Sed quia Dil. Vestra has voces usurpabat SVA SE HABERE OPORTERE: idcirco ea, quæ parens noster habere debebat, postposita fuerunt, & hucusq; ingenti nostro damno (cum, morâ istâ & cessatione, Ordinum Belgij confœderati actio debiti in immensum sit accumulata) omninò emanserunt. Quid? quod cum summa intelligimus admiratione, Dil. Vestram necdum ullâ esse voluntate, promissam hanc summam cum usuris solvendi. Speramus tamen fore ut mutet animum, inq; hanc rem eâ curæ efficacîâ incumbat, quæ digna sit personâ Principis, & naturâ negotij. Nam etsi Dil. Vestra hîc porrò regerit declarationem suam per literas Dusseldorpij 9. Martij 1629. datas, quâ se summam ex Iulix, Montium, Ravensbergæ & Ravensteinij ditionibus promissam parentis nostri usibus permissuram ait, certis conditionibus, quæ non impletæ fuerint, factam esse; in literis tamen istis nulla alia reperitur conditio adjecta, nisi ut parens noster, in casu electionis Clivix, aut Montium, super ijs, quæ Dil. Vestra in postscripto suo innuerat, minus difficilem se præberet, desideriorumq; legitimorum promovere bonum exitum juvaret. Quæ omnia sequenti anno 1630. in ulterioribus tunc ineundis conventionibus, ad lubitum Dil. Vestræ effecta & præstita sunt.

Diutius quidem hic commemorandis cæteris capitibus in quibus Dil. Vestra sæpius dictum contractum non implevit, sed
potius

potius multoties contra eum egit, nec Dil. Vestram nec nos morari volumus. Tantum & hoc profiteamur hisce nos in eam, quæ a Dil. Vestra facta est, alienationem tam insignium patrimonij ditionumq; partium consensum nostrum neutiquam præbere posse, protestantes, simul solemniter, quod si aliquando sive brevi, sive aliquo tractu temporis ad eas, quas jam tenet Dil. Vestra ditiones, ut DEO & legibus freti futurum confidimus, pervenerimus, nos reluendis alienatis & oppignoratis partibus, & rependendis pecunijs nullo modo velle esse devinctos, quemadmodum in eum casum nobis & contra Dil. Vestram actionem ad interesse, & contra possessores quæcunq; remedia competentia jam nunc reservata volumus.

Prolixius hæc Dil. Vestræ repræsentare necesse nobis fuit, eamq; postremo amanter rogamus, ut omnia ista, præsertim manifestissimam contractu provisionali introductam inæqualitatem, ingentiaq; damna & detrimenta, quæ domui nostræ partim per contractum ipsum, partim per eundem non observatum, obvenerunt, pro eâ, quâ pollet Dil. Vestra prudentiâ, æquâ rationis lance ponderare, in futura priorum tractatum reassumptione (de qua ad deputatos nostros, & præcipuè ad Norpradium mandata nostra plenæ facultatis & ultimam declarationem jam perscripsimus) ad æquitatis dictamen propius accedere, negotioq; huic tandem ejusmodi efficacem terminationem imponere velit, quâ cuncta inæqualia, ex norma conventionis Xanthenis, ad æqualitatem reducantur, nobisq; in omnibus supra memoratis adeò instanter & enixè expetita æqua satisfactio, citra moras, obtingat.

Id ipsum

Id ipsum, præterquam quod justitiæ & rationis legibus est
conforme, & ad tranquillitatis, amiciq; candoris inter utriusq; no-
strum familias consanguinitate tam conjunctas conservationem
pertinet, nos erga Dil. Vestram amica officiorum præstatione
compensare semper sumus parati. Regiomontij,
8. Decembris, 1645.



~~2~~ 7252 . 8

V 517

M. G.



ui sunt. Nouisti uia ante
i. mortua est ⁊ mulier: In
actione g. au' eoz. erit ue
lam septem habuerunt ea
m. De aut illis ihc. filij hui'
ibunt. ⁊ traduntur romup
tu uero qui digni habeu
io illo ⁊ resurrectione ex
uis. neq; nubunt. neq; du
uores. neq; enim ultra
untur. Quales enim ange
nt. quia filij sunt dei. ai
iij resurrectionis. Quia u
ui resurgant. moyses of
⁊ secus iudum. sicut dicit:

scem super nos. Spiritus uo ius.
Sedete ⁊ cauet ab omni auaritia.
quia non habundantia cuiusq;
uita eius est ex his que possidet.
Dicit autem ⁊ similitudinem ro
illos dicens. Dominus agram di
uis illes fructus ager attulit.
Et cogitabunt intra se dicens. Qd
faciam. quia non habeo quo co
regem fructus meos. De dicit.
Hoc faciam. Destruam horrea me
a. ⁊ maiora faciam. ⁊ illic con
gregabo omnia que nata sunt
mihi ⁊ bona mea. ⁊ dicam aie
mee. Inimica habes multa bona.



juratus seu
 Clevischer
 den Lande
 über die
 observiret

Inma
 hog zu C
 1418. mit
 Ständ
 Steve v
 vnd sic
 derer Pac
 vnd einer
 sagt: D
 da der
 Tochter



er ducentos abhinc
 nos jura Majora-
 s & Vnionis in his
 rovincijs vigne-
 ant: QUOD UNUS
 NAVE PRINCEPS
 ATU MAJOR SUC-
 EDAT TANTUM.

Nº. I.

Quæ jura Adolphus
 Dux Cliviæ, per
 modum perpetui &
 jurati Statuti cum
 Statibus suis initi,

